



**T**Eias uir apud Ostrogothos fortissimus fuit, cuius opera Totilas rex in omnib. periculis magno successu usus est. Cū etiam Narses, cui Imperator Italiæ præfecturam commendarat, Longobardos excitasset, & per Alpes in Gothorum regionem perducere statuisset, Totilas hunc Teiam cum parte copiarum præmisit, ut ab Athesis transitu omnem hostium conatum arceret, aut transgressum è uestigio sequeretur. Id quod Teias fortiter executus est. Nam Veronam & Taurisium cum finitimis locis contra hostem gnauiter defendit. Cum autem Totilas, non expectato Teia, quē cum copijs Verona ad se uocarat, cum hoste confluxisset & occubisset, Teias ob suam prudentiam, fortitudinem, & auctoritatem communi cōsensu Gothorum 47. extra patriam rex creatus fuit. Is itaq; bellum magno studio reparat, ac cum Bucelino, Amingo, & Lothario, Burgundionum & Francorum ducibus fœdus iniijt, ita ut meritò hostibus factus fuerit formidabilis, præsertim cum Narses Longobardos post Brixellanam pugnam magnis donatus muneribus domū remisserat. Itaq; Narses cum Sisualdo Herulorum rege societatem iniijt, ea conditione, ut si Gothi Italia eijs cearentur, ipsi partem eius terræ circa alpes fortirentur. Erat Sisualdus ab eo procreatus, quem Theodoricus post Odoacrem interfectum cum Herulorum (qui & Brenti dicebantur) manu circa Augustam Prætoriam in Taurinis & Eporedijs collo carat. Interea etiam Narses Romam urbē denuò cepit, & Gothos eiecit. Id cum Teias audiuisset, pertæsus Romanorum perfidiæ & inconstantia, trecentos adolescentes Quiritij generis, qui obsides dati erant, interfici iussit. Deinde ut per partes laborantibus subueniret, Franci & Burgundij Herulis obiecti, ipse sibi cæteram Italianam tuendam assumpsit, & Ariminum obsidione leuare statuit. Cum autem Valerianus Græcus dux iter ipsius im-